



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid significetur per hoc nomen, Malum, à quo liberari volumus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

dè fideles conseruat puros, ne incidant in tentationem sectarū. Et hoc maximè credere debemus, quòd Deus vult nos conseruare, & nō permittere vt inducamur in tentationem: alioqui nemo esset tutus à Sathana. Ligauit em̄ ipsi manus Deus, ne tantum quantum velit, tentare possit fideles. Sic inquit Apostolus i Cor. 10. Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, &c.

## DE LIBERATIONE

à malo.

## CAPVT XXXII.

## ARGVMENTA.

1. *Quid significetur per hoc nomen, Malum, à quo liberari volumus.*
2. *Quare in genere petimus liberari à malo, & non in specie, vt ab hoc aut illo malo.*
3. *Quare non petamus custodiri à malo, sed liberari.*

**M**alum significat nō solūm peccata quæ sunt contra Dei præcepta, vt idololatria, Blasphemia, maledictio, furtum, adulterium, homicidium, vel etiam diffidentiam contra DE I promissa &cæt. Sed hoc verbum, malum, significat etiā omne infortunium in corpore & anima, in honore & rebus, quod nobis propter peccatum cōtingit, vt persecutionem, bellum, incendium, infirmitatem, pestilentiam, caritatem annonæ, & omne damnum quod Sathan nobis quotidie inferre studet: nec enim recenseri possunt omnia mala quæ excitat Sathan his nouissimis temporibus: ideò petimus liberari à malo, hoc est, secundum Chrysostomum, à Diabolo: & rectè vocatur ma-

tur malus, (der böse.) quia malorum omnium nobis caput & causa est: petimus igitur liberari ab illo malo, id est, principe mundi Diabolo, & ab omnibus corporalibus & spiritualibus malis, quibus ille malus id est, Diabolus electos Dei afficere solet. Nam Diabolus nostri generis humani iuratus hostis est: in hoc totus incumbens, vt nos seducat, excæcet & damnent in æternum. Sed non potest superare signatos sancto spiritu ad iustitiam & sanctificationem per fidem Christi, sed omnes eius vires pedibus fidelium calcantur in eo qui dicit: Princeps huius mundi non habet in me quicquam, Ioan. 16.

2.

Petimus in genere liberari à malo, & non in specie vt ab infirmitate, fame, bello, &c. cuius ratio est, quia nos non sufficienter agnoscimus, quid nobis proficiat aut quid noceat: nã si quis putat infirmitatem magnum esse sibi damnum, si autem sanus esset, fortè grauius peccare posset, vt per hoc etiam damnaretur, vel aliquid aliud præsumeret, propter quod mereretur mortem: si autem infirmatur, manet in vita & etiam saluari potest. Sic etiam quis putat diuitias sibi plurimum esse proficuas: & idè nihil discit, ociatur, & discendias excitat, aliquando etiam occiditur: aut nihil facit, quàm quod edit, bibit, & ludit, vnde in varias incidit infirmitates, & moritur: quod si pauper fuisset, aliquid didicisset & laborasset, melius & salubrius vitam transigeret. Sic sepè quis putat male sibi fieri, si habuerit aduersitates & persecutiones, aut quando impeditur à suo proposito, & nescit nec intelligit quod magis pernicies sua fuisset, si ea mala non habuisset. Ideò nos nescimus, quid nobis bonum vel malum sit in veritate: & propterea nos hoc committimus Deo, & in genere petimus, vt ille dignetur nos liberare à malo, quod ipse scit nobis malum esse, nouit enim melius quàm nos: Quare inquit Petrus. 1. Pet. 4. Insuper oratiõ, & cõmẽdemus fideli creatori animas nostras &c.